












PANEGYRICVS IOANNIS PELLISSONIS CONDRIAcensis, Optimo, atq; laudem omnẽ supergresso Cardinali FRANCISCO A TVRNONE dictus.

De summi Pontificis Rhomani, CLEMENTIS eius nominis septimi, ad Christianissimum regem, in terram Franciam, magnifico aduẽtu, eiusdemq; triumphali in urbem Massiliam acceptione.



VIRTVTE DVCE,



COMITE FORTVNA.

LVGDVNI APVD SEB.
GRYPHIVM,
M. D. XXXIIII.

Ex legato D: Equitis Antonij Francisci de Marmi

IOAN. PELLISSO COND. AD LECTOREM.

Qui primus dubijs permisit carbasa uentis,
Se satis infido credidit ille mari.
Sed quia tranquillo pertingere littora cursu,
Tempestatum expers, principio potuit,
Omnia tuta ratus, tumidas non horruit undas:
Sed neque fluctiuagi numina læua Dei.
Sic residem calamum præceps audacia sumens,
Quiuit ab ardenti pellere corde metum.
Tantum, quod primo aspirauerit aura labori,
Nec fuerit sæuis hæc ratis acta Notis.
At tu da ueniam, incultum lecture libellum,
Et dare quo posthac sit meliora, faue.
Scis magnos candore hominum euasisse poëtas,
Sæpe, quibus fuerat debile principium.

IOAN. PELLISSO CONDRIACENSIS GRAVISSIMO pariter humanissimoq́ principi suo, Claudio à Turnone, Viuariensi episcopo, S. P.



TVAE isti tam incredibili humanitati, tuo tam uiro principe digno candori, immortales gratias ago, amplissime præsul, quòd humili clienti alumnoq́ tuo mihi, uel ab amplitudinis tuæ comitatu digresso, tam amanter tribuas, quantũ quidem ut optare fortasse aliquando potuerim, certè sperare nunquam sum ausus. Equidem non quòd charissimo nepoti tuo à prælectionibus, rerumq́ excolendarum memoria parum lubens essem, isthinc propterea ut discederem, faciundum putaui: Sed quod id iam prouinciæ grauius ac difficilius mihi euaderet, quàm cui amplius administrando par esse possem. Quod si quis in re alia usus mei ulla (quod æquum & optabile fuit) dignitati tuæ futurus uideri potuisset, tametsi nullam occasionem prætermisisse usquam uideor, qua non ipsa re declarauerim, quantopere honestissimæ uoluntati tuæ morem gerere semper cupiam: Tamen adhuc testatius aliquanto fecissem, sic tuam me præstantiam obseruare ac reuereri, ut quiduis perpeti potius habuissem, quàm ut eam (quod quidem in me esset) sciens offenderem. Quanquam infelicitati cedens ad tempus secessi uerius, quàm discessi. Neq́ enim ad alium quem patronum me contuli. Cum non defuerint (sit Christo gratia) qui non pœnitendam conditionem mihi offerrent. Sed nec ullam animi à te antistite & ornatore meo alieni significationem dare uolui. Nec facere etiam potui, quin tanquam certo sperarem, ut adhuc etiam ualidius spero, te mei rationem aliquando tandem habitu-

rum,quippe haudquaquam inſcius,quàm ſis ipſa ingenij bo nitate ad bene merendum propensus, de ijs præſertim qui tibi in famulatu probos ſe ac frugi probauerint. Quando= quidem nec ullius prorſus in pietatem tuam admiſſæ culpæ mihi conſcius ſum,& nihil non & feci,& paſſus ſum, & qui= dem rei meę diſpendio (id quod prudentia tua non ignorat) alicubi etiam magno uitę periculo,ut uerus amor ad omnia fortis eſt,quo imperata ac mandata tua ſedulò magnaq́ꝫ fide obirem atqꝫ exequerer. Ac ne nunc quidem in uotis quic= quam magis habeo,duntaxat ſecundum ea,quæ ad ſalutem æternam pertinent, quàm ut per literarum ſtudia tempore mihi detur,quo ſynceri erga te, & uniuerſam à Turnone fa= miliam amoris mei, aut potius pietatis ex ingenioli fructu ſpecimen aliquod edam. Et ſanè hoc ipſum animulo huic adeò penitus infixum eſt,ut quum meam quandam ad ma= gnificentiſsimum patrem, Cardinalem à Turnone, gratula= toriam orationem, de illius Rhomana legatione in patriam reditu,à te tanto & tam ſingularis ingenij,tam acris in literis & rebus omnibus iudicij uiro antiſtite, in tantum probatã meminerim, ut eius edendæ mihi etiam autor eſſes, eadem typographis tradenda, famæ periculum adire non dubita= uerim: & quidem ſecurus omnium,ſed non alio,quàm quod ei ſcilicet albus abs te calculus eo modo adiectus eſſet. Nam tametſi mihi nonnihil uerendum fuit, ne quid huic audaciæ ſuccenſeret grauiſsimus, idemq́ꝫ, ut in omnibus, ita in elo= quentia quoqꝫ eminentiſsimus Cardinalis à Turnone, quia non conueniat ſummi uiri laudes à quouis celebrari, quem= admodum nec niſi Apelli Coo Alexandrum Magnum pin gere licuit. Sum enim (quod diſsimulare non queam) uel in= fra eorum infimos, qui aliquo ingenij & exercitationis be= neficio non omnino barbarè dicere utcunqꝫ norunt. Tamen nequis talis ſcrupulus me male haberet, prohibuit ſtatim, quod uenit in mentem, quantum ampliſsimus ille amplitu= dini tuę deferat,quantumq́ꝫ honoris eidem habeat, qui nulli
tuorum

tuorum propter te non amantiſsimè faueat, uir non dubiè optimus & humaniſsimus, ut quiſquam in hac ætate eſſe poteſt. Hoc enim mecum conſyderans, potius mihi ſperandum cenſui, idcirco panegyricũ hunc illi gratum futurum, quia eum inclyto nomini tuo dedicatum, auſpicijs tuis in publicum exijſſe cognouerit: & quoniam in promptu etiam fuerit illud, Voluiſſe in magnis, ſatis eſſe. Certè quidem ſubditi hominis & principum ſuorum ſtudioſi uirtute atque officio, quantum in me fuit, diligenter fungi conatus ſum. Cuiuſmodi miniſterium temeritatis damnari non debet, niſi iam in eorum albo forte adſcriptus ſum, qui hoc ipſo maximè diſplicent, quòd placere, eſſeq́; in gratia ſtudent. Quò infelicitatis ſi mea incurrerit aut impegerit, non tam animoſa, quàm non dubiè pia ſedulitas, obteſtanti Chriſtus mihi (ſpero) aderit, ne poſthac unquam in ſimile peccatum relabar, ſed quiduis potius faciam quàm ut iterum id faciã. Dicerem autem de præclariſsimis laudibus tuis, Ornatiſsime Præſul: Sed id argumentum mihi ſepoſitum eſt in commodius tempus, & in iuſtum uolumen, quum illuſtriſsimæ gentis & familiæ à Turnone, res adiutore Deo, altius repetens, hiſtoria aliqua complecti meditabor: ſi hoc modo largiri dignabitur deus, ne omnino infeliciter hic mihi cedat uela uentis permiſiſſe quò fiat animus, & profectus augeſcat, ſumma ope ad meliora & politiora enitenti, nec hunc ingenij luminis extinctorem metum accipere ſemper, ſit hoc pacto neceſſe, nimia ſuperſtitione periculum cogitanti, nequid non ſatis elaboratum & excultum emittam, ne'ue rudioris ingenij culpa ac uitio honeſtas alioqui & huberes materias deteram, aut etiam labefactem. Nunc hoc tanquam talis animi pignus quoddam, quali ſoles quæcunque è grato tuorum animo proficiſcuntur, hilari fronte accipe, & ſemper bene uale. Antiſtes humaniſsime, Dominus deus noſter IESVS CHRI-

STVS amplitudinem tuam cœlesti fauore ubique pro-
sequatur. Lugduni Nonis Iulijs, Anno à uir-
ginis partu, sesquimillesimo trige-
simo quarto.

AD ILLVSTRISSIMVM, EVNDEMQVE IN omni laudum genere eminentissimum Cardinalem, Franciscum à Turnone,

IOANNIS PELLISONIS CONDRIACENSIS PANEGYRICVS.



VOD à Deo optimo maximo, ardẽtibus uotis toties comprecati ſumus, deſyderatiſsime pater, ut quando te noſtrum præſidium, noſtrumq́ dulce decus eſſe uoluit, tam longinquam, tamq́ difficilem profectionem iſtam, quàm Chriſtianiſsimi regni ſtatus tuendi, ornandi, ampliandi gratia, meritò ſuſcipiendam putaſti, ita proſperam, atque ita ſine ulla offenſione prorſus eſſe, etiam uellet, ut re feliciter geſta, te breui reducem uenerabundi exciperemus: Hoc immortali illius beneficio, nobis tandem contigiſſe, tam effuſè ciues clientesq́ tui omnes lætamur, tamq́ inuſitata quadam uoluptate delibuti exultanter geſtimus, ut uotorum omnium ſummam cõſequuti nobis quodam modo uideamur.

Neq́ enim dici poteſt, Antiſtes ampliſsime, quàm

misere de salute tua soliciti usque fuerimus, ne quid tibi Romana ista peregrinatione humanitus accideret, dum uidelicet hinc quidem, summa (quod Ouidius ait) petere inuidiam, sicut ardua perflare uentos solere, in mentem ueniebat: inde uerò, tot & tam uaria pericula succurrebant, quibus obnoxia est mortalis uita. Quod & si legationem te suscepisse, & decoram, & ad immortalem gloriã, tibi opportunissimam futuram, satis intelligebamus: non poteramus tamẽ, quin summum metum cum ingenti spe uelut admiscentes coniungeremus: Tum autem seculum uidebatur nobis exijsse, postquã dulcissimo conspectu tuo tandiu frui nõ liceret, ac sine te apud nos tam multa nescio quo modo iacere uidebantur, quæ tua præsentia splendorem suum ac dignitatem retinent.

Atq; utinam miserorum querelas alicunde inaudijsses, cordatissime pater, quibus te absente aut labor obiectus, negotiumq; aliquod immerentibus exhibitum, aut in regia æquum bonum ægrius persequendum, atque eblandiendum fuit, pia illorum uox è tenero tui desyderio erumpens, tibi qui patronum, intercessorem, deprecatorem, nulli te in re honesta & iusta denegare soles, magis ac magis confirmasset ita esse, quemadmodum uulgo dici solet, nihil omnino tam charum esse posse, quod non charius longe fiat, si aliquantisper ab oculis diligentiũ subducatur: usq; adeò scilicet in prædicandis uirtutibus & benefactis tuis, quum ijdem multissimi uideri possent, tamẽ sibi

in eo

in eo ſatisfacere non poterant.

De literatis uerò, ijs præſertim, qui muſarum ſacra colunt, quid tibi nouum aut inopinatum narrare poſsim, ſapientiſsime Pater? quos non neſcius es, amplitudini tuæ in tantum uſque quaque addictos & obnoxios eſſe, ut te ſuum mecœnatem uno ore omnes prædicent: Gratiasq́; ac ueneres, & lepôres, denique camœnas ſuas ex te uno pendere omnes, ad te unum reſpicere, tibiq́; uni conſecratas eſſe profiteantur. Scilicet & hi aduentum tuum flagrantibus uotis animisq́; expectabāt, ac ſine te ſuas muſas negabant canoras eſſe poſſe, nihilo magis, quàm cygnos & ipſos Apollini ſacros, non ſpirante Fauonio. Quid uerbis opus eſt? iſta tua nimirum longior abſentia, apud omnes & infimos, & medios, & ſummos, deſyderium tui tantum excitauit, fortunatiſsime antiſtes, ut facillime appareat, nihil in omni mortalium actione ineſſe quicquam, unde maiora commoda, amplior dignitas, ſolidior gloria proficiſcatur, quàm ſi de quàm plurimis queas, optime merearis, honeſtisq́; rationibus ſemper ſtudeas & conere, omnibus (quantum in te ſit) penitus eſſe cordi, nec dubium uideatur, quin tametſi animi tantum, non etiam reipublicæ cauſſa, ita diu atq; ita procul peregrinari & abeſſe libuiſſet, tamen non niſi & feſtiuiſsimus & candidiſsimus fuiſſet dies ille futurus, quum primùm Franciæ reddereris ſaluus.

Etenim in te neſcio quo modo, præter cæteros pe

culiariter elucet, tam amabilis naturæ & ingenij bo=
nitas, tam mellita quædam morum & ſuauitas & fa
cilitas, & hęc quidem rara quadam animi prudentia,
& pia maieſtate condita ac temperata, ut quum in
adminiſtrãdo ſanctiſsimo munere apoſtolico, quum
in obeundis negotijs publicis, uno te nihil ſit religio=
ſius, incorruptius, dexterius, felicius: tum te ipſum
iuuandis, prouehendis, ornandis omnibus, tam ob=
uium & paratum, tam comem & facilem præbeas, ut
clariſsima omnium uoce nuſquam non prædicetur:
Turnonio cardinale non modo nihil reperiri elegan
tius, & ſplendidius, ſed nec eſſe quidem quicquam
popularius & inculpatius.

Quo maiore proculdubio uoluptate, atque hu=
beriore gaudio perfruimur, qui te talem patronum,
talem protectorem ac defenſorem, talem princi=
pem ac paſtorem in patriæ ſinum diuino beneficio
nobis feliciter receptum conſpicamur. Et quod nul=
la ratione factum iri poſſe, quibuſdam uidebatur,
ut ſummus Pontifex Romanus tuo ductu, tuiſq;
auſpicijs Maſsiliam aduenirent: Quum mira qua=
dam fatorum indulgentia, res in magnifica illa le=
gatione tua, ita ſecundæ ac proſperæ tibi fuerint,
ut eam legationem ad maximi ipſius CHRISTI
uicarij, regiſq; Francorum Chriſtianiſsimi, addam
& totius Franciæ nutum uotumq;, neque ſecius
eo, in eiuſdem CHRISTI honorem feliciter
obieris, indeq; non corpore modo uegetior ac ualen
tior

tior (qui est CHRISTI in eximiam pietatem tuam luculentus fauor) uerum etiam spe, quam de te conceperamus summam, longe superata, omnibus animi fortunæq; dotibus cumulatior, ornatior, felicior ad nos redieris: Ex hoc tanto illius ipsius legationis tuæ successu, tantos spiritus ducere adeò nihil ueremur, ut quasi longe extra omnem fortunæ aleam constituti, propter te unum utiq; tam felicem & bonum patriæ huius nostræ parentẽ, de nobis ipsi magnificulè & sentire & passim etiam loqui nihil dubitemus. Quippe ita à natura informati affectiq;, ut quoniam reduci tibi ab uniuersa Francia, certe ab rege ipso, & uniuersis tum aulicæ nobilitatis, tum ecclesiasticæ dignitatis summatibus, Massiliæ pridem tantus honos habitus est, ut is iustus triumphus in speciem uideri possit, nos etiam seriò triumphare, aut certe tuum triumphantis currum prosequi, tuamq; gloriam nobis magnæ gloriæ ducere debere ipsi putemus.

Quid ni enim faciamus, quãdo nullo reprehẽsionis periculo Parentũ germani filij, Præceptorum studiosi discipuli, Patronorum officiosi clientes, Ornatorũ non ingrati beneficiarij, gloriam in se quadãtenus deriuare audẽt, & hac gratia illorum decora, magna alacritate celebrare nusquam desinunt, ferrum etiam stricturi, si quis reclamare seu obstrepere uelit.

Nam quod ad ipsum triumphum attinet, Quæ uis dicendi, quæ orationis facultas & copia esse po-

test cuiquam tanta, felicissime Antistes, ut pro rei dignitate uerbis explicet, quàm singulari fauore, quàm pleno gaudio, quanto cum honore, te Rex Cristianissimus reducem excepit? Quanto te de ista tam feliciter obita legatione, à se impẽsius amari idem osten dit? cum te tamen semper in oculis tulerit. Præterea quãto plausu, quãta cũ ueneratione, tibi tot augustissimi patres purpurati, tot agminatim ornatissimi pręsules, tot cateruatim illustrissimi ex omni genere opti mates, saluum te, & uoti compotem aduenisse, lætari se ac gaudere citra fucum testati, pro se quisq; certatim laudibus in cœlum euexerunt? Proinde quàm faustis ominibus, quàm lętis acclamationibus, quàm pijs adprecationibus illo eodem die perstrepuerunt omnia, quo Franciæ uidelicet toti in summi pontificis expectationem erectæ, non alius candidior lætitiæq; ac uoluptatis plenior dies, & quidem auspicijs tuis illuxit, nempe Rhomano ipso pontifice, summo CHRISTI uicario Masiliam appulso, cuius aduentui à quibusdam tantopere diffidebatur.

Enim uerò gloriam istam ego uel magnificis illis ac sumptuosis triumphis longè prætulerim, Ornatissime antistes: Quibus suos olim dictatores & consules, Rhoma mundanæ gloriæ ac potentiæ adusq; insaniam famelica, deuictis hostibus, aut subactis nationibus ornabat: sic ut nec esse rear quenquam, qui modò cor habeat, qui non istis factis ac meritis, rebusq; & euentis similibus, nomen illustrari suum

multo

multo malit, quàm quibus triumphatores illi ueteres magnificentissimi, sese consequi ingenti ambitione sperabant, ut sua æternitati fama & Imperium consecrarentur.

Nempe quod sanguinarij illi, quasi in cõmunem humanarum gentium perniciem facti, nihil aliud laborare ac studere uidebãtur, nisi ut cum aliena iactura locupletiores, & potentiores fierent, & quàm longissimè possent, suæ ditionis uiolentissimæ pomeria proferrent. Qui animus, quodq; eorum tam execrabile uotum ut penitus expleretur, tantam mortalium stragem, tantas urbium subuersiones atque excidia, tantas populorum clades & interneciones, tantas urbium uastitates fieri atque edi oportebat, ut mirum nulli esse debeat, si diuina tandem ultione uetus illa Quiritum maiestas, ne pilum quidem dignitatis suæ ac potestatis hodie retineat.

Cum tu modis omnibus suspiciende pater, contra tanquam ad communem orbis Christiani salutem & pacem, hoc est ad subleuandas exulceratissimorum temporum calamitates & miserias natus, quascunq; res Francorum regis nomine gessisti, eas bono publico, & totius Christianitatis commodo, sedandis & amoliendis bellorum furijs, & efficacissimo persuasu, tempestiuisq; admodum officijs, redigẽdis in gratiam potentissimis Christianorum monarchis, sanctissimè ac felicissimè gesseris: ut certissimo certius sit, non temere esse, quod sic diligaris atque obserue-

re: quodq́ tanto honore, tantaq́ gloria ubiq; floreas. Atque illud magis ac magis cuiuis detur intelligi, Caput in omni re esse, quamplurimis prodesse & bene consulere, nec quicquam prius seu antiquius, primariјs & principibus uiris ducendum habendumq́, quàm ut in omnibus ac per omnia, & fide, & diligentia maxima, CHRISTI negotium agatur.

Quippe non posse non prosperè adeoq́ ex animi sententia succedere & domestica, & publica omnia, si factum auspicium inde fuerit.

Nam præclarissima illa, quibus celebrandis alius dicendi peritus opportunè suam facultatem & copiam ostentare posset, ueluti iam inde ab antiquissimis temporibus, consecratam originem uestram, & ad deos autores referri solitam esse, uenisseq́ olim in hanc Galliarum partem, è sanguine Troiano Heroum progeniem longe præstantissimorum, in queis fuisse Turnum quendam, non Italum illum scilicet, qui in singulari certamine Aeneæ magni dextra occubuit, sed alterum quendam uerè Troianum, atque adeò Hectoris ipsius filium, qui uobis generis autor fuit, nomenq́ dedit, & gentilitia insignia. Hunc enim in agro, qui iam inde ab eo tempore, uestræ ditionis est, consedisse, urbemq́ de nomine suo condidisse Turnonem, & filios reliquisse, inclytam propaginem ac styrpem uestram, unde uos longa serie, atque longo ordine prognatos, constantem famam & continentem esse: quæ semper tanquam per ma-

nus

nus talis ad posteros transmissa sit: Confirmariq; hoc minimè leui argumento, quòd in altera gentilitiorum insignium uestrorum parte, generosum ac ferocem leonem, nempe hiantem & erectum, atque ad prædam expassum gestatis, clarissimi Hectoris insigne. Fuisse itaque maiores uestros heroas bellica gloria florentissimos, & hoc nomine semper in Gallicorum regum familiaritatem adscitos, semperq; magnis honoribus usos. Hoc etiam ex eo satis liquere, quòd altera insignium uestrorum pars, tota floribus lilijs sparsa sit, & referta.

Tales igitur prisca illa ætate maiores uestros fuisse, quales in deorum numerum referre etiam Rhomanis solenne fuit: neq; huic demum tantæ, & prorsus hæreditariæ gloriæ quidquam decessisse, posteaquã Christianismus inoleuit, sed plurimum accessisse potius. Prodijsse enim etiam id temporis, è genere uestro, qui per singularem uitæ sanctimoniam, tot miraculis & tantis orbi inclaruerunt, ut post hanc mortalem uitam, autore CHRISTO, indigetes declarati, sibi sumptuosa ædificari templa, sibiq; sacras ac solennes nuncupari ferias sint promeriti. Quod quidem pro certo dici, nec commentum esse, quum alia, tum antiquam apud Lugdunum diui Iusti ædem, opulentumq; ac uenerabile inibi canonicorum sacerdotum collegium in medio esse, ac testari. Extare & in Turnonia arce, extructarum ab eodem diuo Iusto ædium corpus, monumentum Religiosa quadam

antiquitate uisendum,& sancto diui ipsius domicilio planè uenerandum: à quo diruendo & innouando, non iniuria ob sacram memoriæ dignitatem semper abstinendum censuistis. Pie sanè ac religiosè, quemadmodum & illud antiquissimo uestræ domus instituto, semper obseruandum ducitis, ut quãdiu stirps ac genus uestrum erit, ex eo semper aliquis sanctissimum illud Iusti nomen habeat & portet.

Hæc atque his similia stemmata quanquam uberiora sunt, & dictionis splendore maximo digna: tamen nescio quomodo tua illa tam Christiana facinora, tam insignia in Rempublicam merita, mihi quidem nunc ampliora uidentur, & magis (ut sic dicam) triumphalia. Quare cum has mihi partes demandaret patria, ut suam in amplitudinem tuam, eximiam pietatem atque obseruantiam, qualicunq; possem oratione apud eandem testatissimam facerem, hanc potissimum caussam suscipere mihi permisi, non modò, ut patriæ iussis obtemperarem, cui secundum Deum, & me & mea omnia debeo, sed ut conscientiæ tuæ rerũq; abs te, autore scilicet & adiutore CHRISTO, præclarè gestarum, iucundas etiam & suaues recordationes darem. Rem quidem audacem fortasse, & quæ re uera sit supra huius captus atque ingenioli uires, (sumus enim omnibus eloquentiæ præsidijs uacui) sed ad quam substinendam, tamen qualiscunq; facultatula, saltem ardenti pietate suppleri queat.

Nam

Nam audaciam, si non alio, certè hoc nomine celsitu dinem tuam boni consulturam spero, quia si patriæ, quæ me tanquam spectatum in aliquo numero habet, licet nullo merito meo, si eius inquam tam pio in amplitudinē tuam studio, pro mea uirili obsequutus non essem, nihil causę erat, quin rusticæ cuiusdam ingratitudinis nomini meo labes inureretur, id quod dedecorosum, & ad famam nimis sordidum, mea quidem sententia fuisset: nemo enim mihi illud non occinebat, fidei esse, pietatisq́, se uel qualicunque modo memorem ac gratum declarare; esseq́ aliquò prodire tenus, si non datur ultra.

Me itaq; quantum per imbecillitatem & tenuitatem licuit, accinxi, ut communi omnium uoto, & publica uoce, tibi patriæ parenti desyderatissimo felicem istum reditum gratularer, & gratias agerem, quàm possem maximas, pro tanta tuorum erga omnes meritorum magnitudine: Quorum memoriā à nobis quò diligenter ac piè coli ostendam, dum eorum aliquot commemorare iubeor, (neque enim omnia quisquam posset, quamlibet in dicendo exercitatus) te quæso humanissime Pater, ne me assentatiuncula gratiam tuam ulla aucupari quærere putes. Nihil enim sum dicturus, quod non tam certum sit & confessum, quàm quod ipsis usurpamus oculis. Quodq́ tibi non ita propriè tribui debeat, ut alijs eodem modo tribui posit nemini. Nam quòd modestia tua ab istis ingenijs plurimum abhorret, quę quibuscunq;

buſcunq́; poſſunt artibus, auram popularem captãt, & uentoſæ (quod Flaccus ait) ſuffragia plebis uenantur: & nos multo plus ab eo abſumus, ut in celſitudinem tuam ornamentum aliquod conferre poſſimus: ſed imitanti deum tibi, qui ante omnia intimos cordium receſſus penitus introſpiciens, atq́; obſeruans, ad omnia facilè conniuet, dum nequid ibi malæ mentis, maliq́; animi ſubſidat, hoc ipſum audere, tuorum tam non uulgariter pię ſedulitati indulgeas, eorumq́; nihil malis affectibus cedas, neceſſe eſt. Pręſertim quando efferueſcenti lætitia nos ſic efferri facile animaduertis, quaſi in peccatũ impingere hic nuſquam poſsimus. Quanquam bone deus, Quid eſt, quur hanc aut temeritatis, aut adulationis ſuſpitionem à nobis amoliri tantopere laboremus? Cum de laudibus uiri abſolutiſsimi dicturi, nihil aliud, quàm dei in eo dotes, & mirifica ſimus admiraturi dona? Eſt enim deus, id quod non potes ſapiẽtiſsime pater, quin maximè lubens audiendo agnoſcas, cui quicquid eſt in hac mortali uita boni, acceptum prorſus uni referendum eſt. Deus eſt inquam, qui Franciæ terræ, imo uerò orbi ipſi Chriſtiano, per te plura, his quidem temporibus præſtita uoluit, quàm per ordinis tui alium quenquam, etiamſi non inuiti fateamur ac concedamus, eſſe in Francia ualde multos, qui & conſilio, & autoritate, & uirtute, egregiè præter cæteros polleant.

Primum enim cum felicis memoriæ illuſtriſsima

princ

principe Lodoica Francisci nostri regis matre, quę id temporis, absente & captiuo filio, regni huius gubernacula tuis, tuiq; similium consilijs, & uigilanti prudentia freta sapientissimè tenuit, fatales Anglorum in Francos simultates prorsus extinguens, fœdus cū illis apud Condriacum nostri eiusdem regis nomine, tam sanctum & inuiolabile icisti, ut ex eo tempore, tam luculenta sit Anglorum regis erga nostrum, contraq; nostri regis erga illum beneuolentia, ut si germani fratres essent, nec certior inter eos, nec firmior, nec syncerior charitas esse posset, id quod nemo nescit, qui modo uiderit, aut certe audierit, quàm amanter, quamq; cupienter uterq; quoties uisum est alterum interuisit.

Deinde quum Rex Christianissimus, apud Papiam à suis quibusdam, per diu conceptam proditionem nequiter desertus, (aluntur enim facile in quauis regione perfidia & impietas) in manus Cæsaris uenisset, & ob eam caussam metus & periculum foret, necunde in Gallorum fines incursiones fierent, ne'ue nostri milites in patria etiam ipsi hostilia facerent, (quid enim tam insigni clade accepta, non timendum erat inuidiosissimo Franciæ regno?) Hic tu cū paucis, Francisce clarissime, Francisci regno ita prospexisti, ita omnibus reipublicæ membris sapienter consuluisti, ut nec tumultus aliquis in Gallijs, nec ulla nouarum rerum molitio usquam coorta sit. Sed in tam aduerso tempore religiosius etiam quàm

antea, sese omnes in officio cõtinuerint. Quo factum est, ut hostis alioqui uictoriæ successu elatus, & ferox, (quam tamen propemodum citra puluerem, corrupto exercitu nostro, utcunque consequutus erat) cum de nobis prorsus actum esse speraret, diuino beneficio, & tua opera, Gallias tam confirmatas, tamq́ pacatas uiderit, ut se amplius mouere ausus non fuerit. Tanti retulit in tanta turbulentissimorum temporum difficultate sanctè & prudenter Francicam rempublicam administrasse. Enimuero nunquã in Francia (quod quidem memoretur) nec legibus autoritas maior, quàm tunc, nec magistratibus reuerentia amplior constitit: Cum nec secures intentatæ, nec fascium terror ullis usquam incussus sit: qui & infrenem male cogitantium, & pestilentium hominum libidinem cohiberet, & militarem licentiam cohercerret. Quin ut maximè comperirentur paulo ante nõnulli, qui de multis seditiosè, sed nõ palàm queri auderent. Ita omnibus expletus est animus, sic ordo & populus Gallicus passim accepti sunt & habiti, ut ne uincentium quidem hostium mutatam secum fortunam esse uellent.

Ad hæc cum Cæsar ipse regi nostro, quem id tempestatis, occulto quodam dei consilio in potestate habebat, (nam fatorum malignitate & iniuria id accidisse profiteri, aut credere, Christianis religio est) Quum ergo is tunc regi nostro iniquissimas pacis conditiones proponeret, & eo pacto Gallias circunci

dere

dere, pariter & imperium ſuum ita propagare cogitaret, ut Franciæ imperio plurimum detraheretur, tu ad illum legatus in Hiſpaniam miſſus, diuina quadam ratione & arte perfeciſti, ut neceſsitati (aduerſus quam ne dij quidem pugnant) ita paritum ſit & ſeruitum, ut florentius etiam & ſtabilius, cunctiſq; inimicis formidoloſius Gallicum euaſerit imperium, reſtituto in id ſine bello ac fraude Rege Chriſtianiſsimo, & huic germana Cæſaris ipſius ſorore Helionora, in auſpicatiſsimum matrimonium data, uia nimirum ad firmam duorum illorum potentiſsimorum totius orbis monarcharum concordiam diuinitus inuenta: Et breuiter re ita per te compoſita, ut & Franciſci regis pudori omni ex parte optimè conſultum ſit, & liberi eius, quibus ad fidem promiſſorum acceptis obſidibus, eum Cæſar dimiſerat, ſint & pientiſsimo eidem parenti ſuo, & Franciæ ipſi reſtituti, nec tantillum interim eo nomine terræ Franciæ ditioni Imperioúe deceſſerit. Qua prudentia & dexteritate quid præſtantius, quid optatius eſſe poterat? Poſtremò ſic reconciliatis æmulis Chriſtianorum monarchis, ſic ſtabilita inter eos pace, ſic pacato orbe, ſic ab imis uſque radicibus conuulſis odiorum inteſtinorum ſeminibus, quo pacto tandem labore tuo ornatum amplificatumq; eſt idem Franciæ imperium? Iam hoc ſcilicet attingendum uidetur.

Quod igitur decus, quæ dignitas, quæ gloria Frãciæ regno maior optanda uidebatur, quàm ut in Frã

ciam, ad Christianissimum Regem summus CHRI-
STI uicarius honoris caussa adueniret? Quae uerò
iustitiae coniunctior locupletatio? Quis ab omni in-
iuria alienior auctus eidem Franciae contingere po-
terat, quàm si à praepotenti aliqua familia opimae di-
tionis magna ei accederet succesio? Ergo cum sum-
mo pontifici Romano magnae solicitudini esset, ne
florentissima illa Florentinorum Medicum familia,
unde ipse paterno genere ortus est, nobilium & prae-
clarorum ingeniorum nuper benigna atque indul-
gens altrix, nunc autem maribus liberis defecta, ne-
gligentia ulla sua aut intercideret, aut ad immerentes
perueniret, (Eius enim interest uel maximè, ut in
Christianitate potentissima quaeque domus stet ac ma
neat, nedum optimae ac beneficentissimae gentis suae
integer status conseruetur) ergo memori illius ani-
mo, & uetus Franciae regnum cum suis gentilibus
hospitium, & singularia ab illis quum in hos ipsos,
tum in sedem apostolicam merita obuersata sunt, ut
Christianissimum Regem omnibus anteponeret, abs
quo natu minorem filium, Aureliorum ducem pete-
ret, cui unicã illam paternae domus haeredem, Vrbi
natiumque ducem rectè collocaret. Quod ipsum Chri
stianissimo quidem Regi tam gratum fuit, ut & gra-
tias immortales egerit, seque beatissimi Papae caussa
nihil nõ facturum ex animo promiserit, seu quia res
erat planè digna, ad quam adijceret animum Rex,
seu quia maiorum uestigia insistens, qui semper de
Romana

Romana ecclesia optimè meruerunt, sanctissimum illum patrem omni obsequio officioq; demereri cuperet. Sed incredibili cupiditate ardebat Rex, ut cum illo sibi ex animi sententia congredi ac colloqui liceret. Quod (sicuti sparsus est rumor) nonnulla haberet, sed ita sit, necne, tu optimè omnium nosti, amplissime antistes, qui Regis ipsius consilijs intimus es. Illa ergo conueniendi pontificis regem cupiditas incendebat, quod (ut dicebatur) is quædam haberet ad Gallicanæ ecclesiæ statum pertinentia, de quibus ad eum coram, arbitris omnibus procul amotis, referre uellet: neque enim dubium est, quin magna cautione opus sit, ut in hodierna ecclesia omnia, olim quidem bene ac sapiēter constituta, nunc autem dierum luxu, adeoq; omni uitiorum genere, alicubi etiā factiosis & damnatis erroribus corrupta labefactataq; : sublatis de medio sine tumultu & seditione, nequitiæ ac scelerum uelut scatebris & fontibus, rectè atque utiliter corrigi restituiq; possint. Cæterum nimium multæ, & eæ oppidò legitimæ causæ obstabant, cur ad summum pontificem Rex tam procul extra ditionis suæ fines tutò non iret: nec si id posset, ut nunc sunt res, tamen ipse deberet. Porrò credi interim par non erat, iuxta ferè omnium opinionem, pontificem in Galliam uenturum: Certè quidem paucissimos fuisse constat, qui hoc inducerent in animum credere, factū iri, ut uel tantisper summus pontifex ab Italia discederet, quin non defuere, qui alios

ſponſione laceſsiuerint, ni is ab Gallijs certè per hæc tempora prorſus abſtineret. At rex tamen ad te interim reſpiciebat. In te unum hanc difficultatem reclinabat: cuius in rebus gerendis felicitatem, magno Franciæ bono toties expertus eſſet. Hic ergo tu teſtatiſsimo teſtatius feciſti Frãciſce generoſiſsime, quàm nobili & excelſo ſis animo. Negotium enim hoc totum quamlibet difficile: arduum, laborioſum, quando regi ita uidebatur, ad te recepiſti: Et Rhomam ſtatim profectus, illic intra paucos dies apertè declaraſti, homini homo quid præſtet. Quippe qui honorificentiſsimæ ac magnificentiſsimæ legationis munere fungens, rem eò uſq; perduxeris, ut ſummum Pontificem, uniuerſamq; Rhomanam curiam in Franciã ipſe adduxeris, tantaq; uirtute inuidiam ſuperaueris, ut qui audacem inceptionẽ tuam dixiſſent, hi nunc quaſi attoniti, ita te mirentur & ſuſpiciant, ut magnũ Galliarum decus, magnum feſsis rebus auxilium te eſſe fateantur, ac palàm dictitent. Quod ipſum euidenti argumento eſt, apud alios laudes tuas, quàm antea eſſe nunc uel infinito maiores, neque id quidem iniuria. Nam quod apud Francorum regem, eximia & ſingulari autoritate ſis, id tibi cum alijs non paucis regni proceribus commune eſt. Quod uerò eidem regi ita charus ſis, ut nihilominus apud Cæſarem, apud Anglorum regem, deniq; apud ſummum Pontificem Rhomanum tanta flagrare gratia poſsis, ut quicquid opus & neceſſe ſit, ad utilitatem ipſius re-

gis noſtri

gis nostri, cuius nomine oratorem agas, ab illis quidem omnibus feliciter cõsequaris: Pontificem etiam ad eundem regem colloquendi caussa in Franciam ab Italia, & ab urbe gentium domina, uel inuitis atq; frementibus omnibus inuidis, quanlibet pollentibus & opulentis, maximè lubentem ac lætum adducas. hoc scilicet abundè declarat, uirum te tantum esse, ut de ijs quidem, quæ in uires humanas cadant, nihil prorsum quantumuis difficile sit, quod si ad te receperis, effectum dare non feliciter possis. Quam equidem laudem, tam singularem, tamq; ingentem existimo, ut mihi omnino uidear, nihil tibi quicquam nimium tribuere posse.

Etenim cardinalem Gallum studio & autoritate, atq; adeò orationis illicio Rhomæ tantum ualuisse, ut præter omnium spem id assequutus sit, quod ne ipsi quidem alioqui pollentissimi Christianorum reges, si per se id essent conati, (certe ut opinor) exorassent: Quantum id tibi amplissime antistes, nisi triumphi instar est alicuius maximi? mihi profectò difficillimorum eorundemq; pulcherrimorum operum omnium, quæ ab hominibus esse possint, numero ac loco est, te tuo marte (ut sic dicam) id est tua unius uirtute & opera perfecisse, ut summus Pontifex, CHRISTI optimi maximi in terris uicarius, & totius orbis supremum caput, se tibi ipse totum, in ea quæ principis tui nomine peteres, concreditum, in tantum tradiderit, ut cum probè sciret ab infestissi-

d mis

mis prædonibus, & Barbarossa nobilissimo & crudelissimo barbarorum pyratarum duce atque imperatore, mare hoc nostrum tantum non obsideri, Cum illud compertissimũ haberet, Insubrum ducem magno regis nostri contemptu ac contumelia, occidendo crudeliter nobili uiro, quem in Italiam ille etiam legauerat, rem contra fas & ius omne gentium talem designasse, qualis olim fando uix unquã audita est, ut scilicet ea res flamma esse posit & fax cruentissimi alicuius belli. Cum essent præterea, qui eum satis admonerent, Cæsarem mali quippiam suspicaturum, eoque iniquissimo animo laturum, si ad regem ipse in Franciam ueniret, imò cum iam rumor dissipatus esset, si id faceret, Cæsarem nescio quid interminari: denique cum uel in urbe ipsa rem ad tumultum & seditionem spectare sentiret, si horsum inde proficisceretur. Quid pluribus immoror? Quum ex omni parte inquam, atque adeò omnibus modis, ut impediretur ac retineretur ipse, laborari, diligentiamque omnem adhiberi uideret, & quod pluris est, nihil ipse esset indigens regis, ut qui Carolum Cæsarem ad omnia paratissimum semper habuerit, tamen prohiberi non potuit, quin tantum fidei & honoris tibi habuerit, ut tuo ductu tuisque auspicijs in Galliam ad regem nostrum accesserit.

Potest'ne quidquam tam magnificè dici, quin id laus ista multo superet? Accessit enim, non quia rebus aduersis urgeretur, aut de sede sua eiectus esset,

(quæ

(quæ caussa olim destitutos aliorum auxilio pontifices Rhomanos, refugere ad Gallorum regem non semel coëgit) sed quia optimis rationibus, & admodum tempestiua comitate tractatum eius animum in Gallorum regem ita conuertisti, ut quocunque eum ipsius regis gratia, etiamsi aliò ducere uoluisses, uenire ille nec grauatè nec cunctanter sibi permisisset. Tam gratiæ beatus, tamq́ felix primigenij ecclesiæ Rhomanæ filij commendator apud summum Pontificem esse potuisti.

Et mouerat hunc quidem, nec leuiter Cæsarea maiestas, quam eidem Bononiæ inter alia dixisse accepimus, Franciæ regem ad illum legasse uirum inter paucos bonum & sapientem, dignumq́ cui quiduis crederetur. Id se compertum habere, sibiq́ rem tecum oppidò seriam aliàs fuisse, cuius testimonij autoritate, & tanti principis tam certe beneuolentiæ significatione, quid ad magnam autoritatem apud summũ Pontificem consequendam optatius, quid ad ueram gloriam aptius esse poterat? Eius tamen successus omnis præcipuum in hoc momentum fuit. Nam qui fama duntaxat, & regis ante aliquot annos, quum scilicet in augustissimum cardinalium ordinem cooptatus es, tunc etiam imperatoris commendatione apostolicę sanctitudini insinuatus eras, ubi ea te propius, & de facie nouit, ubi uultus totiusq́ corporis habitum, ubi orationis tuæ prudentiam & synceritatem animaduertit, ubi omnia in te satis explorata, sa-

tisq́ſpectata habuit,ſic in te penitus affecta eſt,ut au dita ſit,quum apud amicos diceret,eum te eſſe, cui ſe & ſua omnia committere non dubitaret, quo etiam iudicio quid tibi maius aut felicius contingere po= tuiſſet?

Nec uerò falſa interim, neq; iudicio neq; opinio= ne fuit,quò admirabilior ſit interim felicitas tua,Am pliſsime Pater, ſiquidē etiam ſupra uota, omniumq́ expectationem illi apud Regem ſucceſſerunt omnia: ut non minus honorificum, nec minus graue illud de te ab ea teſtimonium celebretur:Ferunt enim pon tificiam ſublimitatem Maſsiliæ apud amicos tanquā gloriatam, quòd ſuo iudicio erraſſet, quippe te in o= mnibus maximis & grauiſsimis rebus ſatis cognitū in primis, ſatis ſuperq́ probatum eſſe: neq; quicquā prorſus te Rhomæ ſibi promiſiſſe, aut alio quo pa= cto dixiſſe, quo non etiam amplius quàm ipſa ſpera= ret, ſibi eidem in Francia præſtitum ſit, & effectum datum.

Meritò id quidem : nam cum regio apparatu, & quū quanta maxima potuit ueneratione apoſtolicā ſanctitatem regia maieſtas excepit,& tanto ſtatim ho nore affecit, ut illius ex fratre nepti, ex filijs ſuis unū dederit, in æternam Valeſiorum cum Medicibus neceſsitudinem ac coniunctionem : Tum ſuaſu tuo non beatiſsimam illam modò, (quam erat alioqui omni officiorū pietate demeritura) ſed omnes etiam eius itineris præcipuos comites, ditibus atque opu= lentis

lentis muneribus cohoneſtauit. Quippe quæ (ſicut de ijs audiuimus, qui ſe hoc uerè ac certò ſcire profitebantur) thyara ſeu pontificia mythra, filoq; aureo intertextis, & antiquiſsimo artificio acu depictis tapetibus Papam donauit, mythra ſexaginta, tapetibus quadraginta aureorum ſolatorum millibus æſtimatis: ut duo hæc duntaxat dona ſummam efficiant centies mille ſcutatorum. Cardinalibus uerò, qui cum Papa aduenerunt, ſingulis auream pateram precij ducentorum aureorum ſolatorum. Et de opimis Franciæ ſacerdotijs in annuos reditus mille ſcutata etiam ſingulis dono dedit. Quæ ſunt annua triginta aureorum ſolatorum millia, ab illis uiritim percipienda ex aliquot abbatijs, quas à Franciæ cardinalibus mutuò acceptas, in eoſdem liberaliſsimus Rex tranſtulit, idq; te autore (ut dixi) & impulſore, omniũq; primo, abs quo in eam munificentiam duas ille abbatais mutuatus eſt.

Quæ omnia quaſi auctarij & corollarij cuiuſdam uice ad ſplendida illa & ſumptuoſa acceſſerunt, quibus omni ſtudio & alacritate magnificentiſsimus Rex apertè declarauit, quàm nihil omniũ ſibi omittendum duceret, quo ſanctiſsimi domini Papę optatum in Franciam aduentum ornatiorem redderet, & ſplendoris ac dignitatis pleniorem.

Quid enim magnificẽtius illa nauium, paronum, triremium claſſe omnibus rebus regaliter inſtructa atque ornata, tum omnis generis ſerico, aureo etiam

panno, ea certè trireme, qua summus Pontifex uehebatur, undiq; cooperta ac circuntecta? Quam classem, ei præfecto Albaniç duce, uiro præter antiquissimas imagines, rebus quoq; prçclarè gestis, & fœcundis animi artibus maximo, & sanctissimo Papæ propinquitate coniuncto, in eaq; imposito ornatissimo Franciç procerum agmine, Rhomam pontificis inde Massiliam deducendi ac comitandi gratia præmisit.

Quid præterea sumptuosius ac magis uisendum ingentibus illis ædibus & Basilicis, quas Massiliæ operosissimo artificio, & incredibili ad omnia commoditate, elegantissimoq; ac splendidissimo cultu, Rex ante in gratiam Pontificis exædificandas ac parandas curauit? Vbi illius beatitas cum suis, ubi Rex, Regina, Regij liberi, ita commorari, & in hospitio esse possent, ut nullo labore ac negotio, quasi sub ijsdem tectis, alij ad alios facillimè commearent. Et fieret ex omnibus quasi una omnium gratarum propinquitatum ac necessitudinum, arctissimo uinculo inter se colligata ac coniuncta familia.

An uerò quicquam hæc ætas usquam uidit magnificentius, ac triumphis omnino plenius celeberrimo illo conuentu, quem in eadem urbe Christianissimus Rex ex uniuerso ecclesiastici ordinis, qui in ditione eius est, fastigio, ex uniuerso Gallicorum principum, & gentilium hominum flore, in comitatu habuit? Quum solenni pompa, religiosis ceremonijs, ordine pulcherrimo, heroico incessu, ad summum

Christi

CHRISTI uicarium, tanquam numen quoddam cœlitus demissum, pientissimè ac reuerentissimè excipiēdum uenit. Et deinde paucis post diebus, quum affinitatem cum illo iunxit, dato fratris illius filiæ Vrbinatium duci, & inclytæ Medicum familiæ hæredi unicæ, filio suo Aureliorum duce.

Vel ex hac una re coniectare licet triumphorum (ut sic dicam) admirabilitatem, qui & prius in aduētu pontificis, & nouo ingressu eius in urbem Massiliam, & deinde cum Rex ad illum accessit, postremo in huiusmodi cōcelebrandis nuptijs acti sunt. Atq; illud etiam omitto, quod clarissimi Franciæ optimates omnes ingenij & opum uires exeruerint ad festiuissimas illas celebritates pro sua cuiusque portione condecorandas, inter se etiam certare uisi, qui quibus sanctissimi domini Papæ amicos, & terræ Italiæ primores ampliore officiorum gratia & comitate prosequerentur: ut eminentissimus Franciæ legatus, totos etiam abacos argenteis uasis egregiè cçlatis refertos compluribus donasse dicatur, ne cui in hoc laudis genere cedere uideretur.

Nec illud (opinor) attinet commemorare, quod uel Rex ipse obseruantia in CHRISTI uicarium, & honestissima indulgentia, atque obsequendi gratia, suos omnes longè à tergo reliquerit. Posito in liberrimo sanctissimi illius arbitrio, quidquid ipsi in Francia uideretur ac placeret: se enim in omnibus Regni & ditionis suæ finibus maxime lubentem in

eius poteſtate futurum, & prouiſo ut quum primum ille in Italiam renauigare uellet, omnia ad eum reducendum parata & adornata eſſent. Et cum omni honore, ac dignitate, omni obſequio ac comitate dimitteretur, & quidem omnibus ſumptibus immunis pecuniam enim Regiam (Chriſto gratia) abundè ſatis eſſe, ad diſſoluenda omnia, quæ beatiſsimo Papæ Maſsiliæ expenſa ferrentur.

Non igitur de nihilo eſt, quod apoſtolica ſanctitas ſibi nõ uulgariter gaudet, tibi & uerbis tuis omnẽ fidem habuiſſe. Quin quàm multa concurrunt, ampliſsime antiſtes, quibus augurari licet, te in eiuſdẽ, & Rhomanenſis aulæ ſummatum præcordijs intimè repoſitum ſic eſſe, ut nulla ſit unquam temporũ iniuria futura tanta, quin in auguſtiſsimo illo & ſanctiſsimo purpuratorum patrum ſenatu, Franciſci cu iuſdã à Turnone Cardinalis Galli, cum beneuolẽtia & charitate memoria ſemper uſurpetur. Sicut iam planè certum eſt, Franciſcum Gallorum Regem, in uiuentium pectoribus, & quidem ex omni natione, atque ordine, ijs uirtutum monimentis conſecratum eſſe, ut nullum æui ſpatium hęc ita antiquare ualeat, quin eius regalis magnificentia & liberalitas, laudibus in cœlum iure ac uerè ſemper feratur.

Atque hæc ipſa ſunt, quibus etiam tua uerior adeoq; omnibus partibus admirabilior eſt felicitas, quàm aut Datyli illius Athenienſis, qui tot honoribus ſine offenſione uſus eſt, aut Quinti Metelli Rho-

mani unquam fuit, cui quaſi cuiuſdam annuli fatalis beneficio contigit, ut ſumma ſapientia ſummus ſenator, & clariſsimus ciuis haberetur, & auſpicio ſuo res maximas gereret.

Quid enim felicius ſit, quàm ſecuram ac tutam ab omnibus bellis, id eſt, ab omni malorum lerna requietem Christiano orbi peperiſſe? & ſublatis rerum perturbationibus ſummos Chriſtianitatis principes, mutua beneuolentia, mutuoq́ue amore, mutuis officijs inter ſe arctius coniunxiſſe? Atque ita negotium cuiusque egiſſe, ut eorum nemo non ſecum præclarè actum exiſtimet, & dicat? denique perfeciſſe, ut autore ſanctiſsimo patre, in cuius uerba iurant, cuiuſque pedes cernui exoſculantur omnes Chriſtiani principes, amica & bonorum omnium creatrix, ac propagatrix charitas & pax, inter eos quàm diutiſsimè ali poſsit?

Quis uerò eadem hæc ad totius Chriſtianitatis commodum, honorem, dignitatem, pertinere neget? Siquidem nihil prorſus uſquam eſt, quod Chriſtianitatem æquè contaminet ac labefactet, quàm exitiales iſtæ inter Chriſtianorum principes inimicitiæ plusquam impiorum bellorum materies & ſeges. Contraq́ue nihil eandem Chriſtianitatem tam prouehit atque ornat, quàm amica cum omnibus pax & unanimitas, & quidem quantumlibet magno redempta. Tum autem pátere & ſine Chriſtianiſsimum Franciæ regnum peſſundari, quantulum quæſo ger

mani, & puri putiq; (ut sic dicam) Christianismi in reliqua Christianitate, & quandiu permanebit? Cum extra Galliam unam, Christianus orbis hodie aut Iudæorum & Marranorum, quotidianæ uitæ consuetudine, aut pestilenti hæreticorum contagione, alicubi etiam Mahumetanorum commercio & usu, magna ex parte infectus & corruptus, aut ad detestabilia etiam flagitia, quarundam nationum propensione, ac quasi genij instinctu, fœdè nobilitatus sit. À quibus omnibus Franciæ regnum (laus & gratia CHRISTO) immune est, & exemptum: Atq; ita exemptum, ut non alibi usquam gentium, nec religiosius, nec castius, ac sanctius pietas, leges, æquum & bonum colantur: nec alia sit natio (fremat inuidentia licet) aut CHRISTI reuerentior, aut simplicitatis ac candoris retinentior. Cum igitur christianitatis præcipuos monarchas, per quorum manus in nos à deo uel bona uel mala omnia immittuntur, inter se eò usque coniunxeris, ut & in altißima tranquillitate deo nostro seruiamus, nec capitales religionis nostræ inimici Turcæ, qui ex nulla re magis, quàm ex dißidijs nostris rem sibi faciunt, aduersus nos ausint quicquam amplius moliri, non Franciæ modò regnum, sed & uniuersus orbis Christianus tibi debet, quantum mea quidem sententia, expendi satis non potest.

Accedit, quòd idem Christianißimus rex, quum nullam uirtutem non magnopere exercet, antiqui-

tatis

tatis literarum etiam ſtudioſiſsimus, tum tuo maximè ſuaſu atque impulſu, optimum ac doctiſsimum quenque ſibi undique adſciſcit, dat'que & præficit quibuſcunque poteſt, & bonos paſtores, & bonos rectores, magiſtratus non niſi probis & idoneis committens. Quo fit, ut latrocinia à quibus nihil hactenus uſquam tutum fuit, iuſta ac legitima ſeueritate compeſcantur, nocentes profligentur. Otioſis erroribus, & reliquis omnibus peſtibus, quas bellum ingenerare ſolet, Galliæ ubique liberentur: boniſq; legibus, & utilibus inſtitutis ſuus uigor reuocetur, inutilia omnia tollantur: ſalutaria ſufficiantur.

Accedit, & quod idem florentiſsimus princeps inſtauratis ubicunque regnum obtinet, ſcholis, meliores & puriores literas tanquam poſtliminio reuocatas, magna alacritate reſtituit. Et Lutetiæ trilingue collegium fundaturus, ac dicaturus, quo perpetua optimarum diſciplinarum ſtudia alantur ac prouehantur, inibi regio planè autoramento conductos magiſtros & profeſſores habet, qui citra intermiſsionem publicè optima & pulcherrima quæq; docent: unde tantum fructum quotidie hauriri uidemus, ut iam ſit magnus in Gallijs hominum egregiè eleganterq; eruditorum prouentus: quorum admiratione & laudatiſsimo exemplo euenit, ut uirtutum ubique & honeſtarum artium exercitamenta excitentur: ac iam aurula quædam bonæ ſpei affulgeat, Chriſtianum orbem ſenſim tandem per dei miſericordiam &

fauorem, his rationibus adductum iri, ut à tot indignitatibus & flagitijs descifcens, atque eo pacto tam pestilentibus ac pernitiosis offendiculis abstinens, ad innocentiæ & synceræ pietatis studium pedetentim conuertatur. Quæ res si placato & nobis propitio reddito CHRISTO, contingere tandem posit, O' uerè felix, uereꝙ aureum quoddam alterum seculum. O' beatam te tali præsule ecclesiam. Et fortunatum in primis Franciæ regem, qui tam dextrum nactus sit oratorem, tam fidum legatum, tam intimum consiliorum autorem.

Feliciorem uerò antiquissimam & illustrissimam à Turnone familiam, quæ post tam innumerabiles heroas, quorum ea quoddam quasi seminarium semper fuit, & adhuc inter magnificentissimum dominum Claudium à Turnone, Viuariensem episcopum, de quo dubites, corporis'ne, an animi præclaris dotibus ornatior, atque insignior sit, seu formosi etiam in uiridi senectute corporis, optimum habitum, & elegantissimam proceritatem, cum pari uultus humanitate & clementia, pari oris affabilitate & facundia coniunctam, seu potius admirabilem illius in omni functione prudentiam, incomparabilem in ecclesiam dei, in pias reparationes, ac sacrarũ ædium elegantissimas refectiones beneficentiam spectes: ut hunc dignissimum censere posis, qui & ipse cardinalitio galero tecum decoretur: inter hunc inquam, nunquam satis laudatum præsulem, & cæteros Tur

nonio

nonio genere dignissimos ecclesiæ antistites, inter tot dynastas clarissimos, te tandem orbi optime Pastor, non sibi modo ipsa protulit: Qui uirtute sola, & CHRISTI fauore subnixus, per singulos uirtutum ac dignitatum gradus, tandem ad summum Cardinalitiæ celsitudinis fastigium peruenisti. Vnde clarissimis alioqui & illustrissimis Principibus meis, nepotibus tuis tantum solidæ gloriæ accedit, ut iam Turnonij nominis magnitudo sit tanta, atque eò usque increuerit, ut non solum apud Gallos, apud Anglos, Scotos, Germanos, Italos, Hispanos, Lusitanos, sed etiam apud Turcas, & Barbaros in precio habeatur, & maxima dignatione.

Neque uerò est Pater amplissime quod quisquã hic mihi tuorũ fata & casus acerbos obtrudat, quominus gentiles tuos omnes, omni ex parte fortunatos ac felices dicere liceat. Sit enim mortuus tibi, imo Franciæ, Iustus ille, frater tuus, tam cordatus uir Princeps, tam constans iustitiæ uindex, tam acer honoris Franciæ propugnator: Pro patria enim, & pro Christianissimo Franciæ regno mortuus est in acie, cum Lapalicio, Tremolio, Suffortio, ducibus præstantissimis. Gesserat honores, equitum turmæ meritissimò præfectus. Prouincias magnas administrauerat: Tam gratus omnibus, ut eum tanquam parentem colerent ciuitates: tam charus Regi, ut ab eo in amplissimum ordinem, & collegium, cui nomẽ à diuo Michaele inditum est, cooptatus, & conchu-

lato torque honoris causa ab eodem decoratus, inter maximos regni sui proceres haberetur. Mortuus est, quid tum postea? In summa eademq; honestissima gloria uixit, in summa eademq; honestissima gloria mortuus est.

Turnoniæ hoc gentis proprium est, pro patria, & Christianissimi Regni statu tuendo, ac sarto tectoq; conseruando, uitam ipsam, nedum rem & facultates exponere. Quod ipsum quum tam multi è sanguine uestro olim, tum his annis, & Iustus ipse tuus frater, & Antonius atque Ioannes eius elegantissimi atque nobilissimi liberi, equitum etiam duces lectissimi, magna alacritate præstiterunt, quos idem bellum, sed non eadem pugna, cum Lautrecio Imperatore confecit, fato quidem, prope dixerim, crudeli ac diro, ut mortuo optimo & patriæ maximè necessario parente, non ita multo post, necesse fuerit accidere, ut morerentur eius filij, summæ spei iuuenes, alterq; Turnoniorum, alter Arlentianorum princeps. Qui bellicis laudibus inhiantes, iam ea uirtutis & strenuitatis documenta dederant, ea ueræ nobilitatis specimina ediderant, ut si deus eos superstites esse uoluisset, dubium non sit, quin magnæ in Francia prouinciæ iam eis traditæ essent. Sed in tam iusto bello, in tam pia & honesta causa, pulcherrimū erat patris factum imitari, & tam excelsa uirtute æternam gloriam promereri. Tum CHRISTVS dominus & Deus noster orbi declaratum uoluit, Turnoniam

domum

domum ſibi eſſe tanquam peculiari curæ, ſiquidem quos egregiè præter cæteros amat, hos aduerſæ fortunæ procellis ſubinde ſolet exercere: ſed ita, ut quum deprimere uelle maxime uideatur, tum maxime euehat. Id quod in uobis Franciſce illuſtriſsime, ipſa re teſtatum fecit. Quis enim antea unquam magis in excelſo uidit Turnoniam domum? Tuo utiq; merito pater ampliſsime, qui in celſiora perueniſti, quàm gentilium tuorum adhuc alius quiſquã. Porrò quod ad ſtirpis ſobolem pertinet, ſunt alij tibi (Deo ſit laus) ſatis multi fratris filij, qui nobis auita decora referre iam atque æquare cœperunt: ut in ijs quidem, qui ad eccleſiaſticas functiones & dignitates uocati ſunt, obſeruandus in primis D. Carolus à Turnone Viuarienſis eccleſiæ paſtor deſignatus, uir qui præter excellens ingenium, & minimè protritam eruditionem, & raram quandam animi prudentiam, atque in rebus gerendis dexteritatem in uenerabili antiſtitio, & in ſummo honore, quo apud cel ſitudinem tuam utitur, ea etiam eſt morum ſuauitate & comitate, ut nulli non ſe affabilem ultrò præbeat, & nihilo ſecius eo, grauitatem ſuam facile tibi probet: atque ita mira quadam harmonia, & in amplitudine humaniſsimus, & in ipſa humanitate ampliſſimus ſit.

Et Iacobus à Turnone ornatiſsimus Caſtrenſis præſul, quo omnibus modis reuerendo, tamen nemo eſt ad congreſſum ciuilior, nemo minus faſtus

aut ſupercilij præ ſe ferens, & quidem incolumi interim epiſcopali dignitate, quoties res poſtulat: Quo præterea nemo liberalior eſt & munificentior, quiq́ſ ſuos benignius habeat, quiq́ſ de alijs omnibus, in quibus modò eluceat aliqua uirtutis imago, melius mereri amet ac gaudeat. Hic & pietatem nulla in re non colit, & literis atque earum ſtudioſis amantiſsimè fauet. Veram nobilitatem, adeoq́ſ ueram epiſcopi laudem in hoc ſitam eſſe perſuaſiſsimum habens, ſi ſanctiſsimo exemplo tuo, quamplurimos poſsit adiuuet, & ad rectè Chriſtianeq́ſ agēdū promoueat.

Ex ijs uerò qui ſeculo (ut ſic loquar) relicti ac deſtinati ſunt, eſt illuſtriſsimus & omni laudum genere cumulatiſsimus eques Iuſtus, dominus à Turnone, quippe qui tum politiore literatura, quā ipſam cum natalium claritudine, nexu pulcherrimo copulauit, nobis (uti ſpero) bene fortunantibus ſuperis, aliquem è ueteribus illis inuictiſsimis ducibus Rhomanis relaturus, qui non minus in diſciplinarum ſtudijs & peritia, quàm in armis præſtantiſsimi fuere. Tum corporis eximio decore, & planè militari agilitate ac fortitudine, omnibusq́ſ animi laudatiſsimis artibus, & decora canendi gratia, famam opinionemq́ſ omnis primario uiro dignæ honeſtatis, iam in primo iuuentutis flore collegit. ut taceam, quod nuper in Franciæ Reginam, & cæteras heroinas eius comites, imò in omnes nobilitate ac dignitate inſignes, qui Maſsiliam ad Papæ & Regis conuentum

con

congreſſumq́; hâc deſcenderunt, adeò magnificam & ſplendidam hoſpitalitatem exercuit, ut in maximi & clariſſimi cuiuſq; amicitiam & familiaritatem ſeſe penitus inſinuauerit. Magnifica domo ueſtra omnibus nullo diſcrimine ad opiparas & adipales epulas patefacta, ut intelligeret Chriſtianiſſimus Rex, ſuperiorum à Turnone principum excellenteis uirtutes, quaſi hęreditario iure in filios, & nepotes penitus eſſe transfuſas.

Eſt item Arlentianus dynaſtes, generoſiſſimus adoleſcens, cuius egregia forma, ut nulli non admodum arridet, ita ſpes atque uirtutis indoles tam bona tamq́; eximia eſt, ut ſibi defuturus uideri non queat, quin ætate paulo prouectiore, omnia adipiſcatur, quæ habentur ampliſſima. Adeò uiua in eo uirtutũ ſigna elucent. Quid igitur eſt, quur mortuorum deſyderio tenearis Antiſtes cordatiſſime? non hi tibi ſatis eſſe debent? manent ergo, manent, æternitati conſecratæ Hectoridarum reliquię: Et Turnonia domus clariſſima prole exhauriri neſcit. Quòd ſi ex alijs opum ac uirorum præſtantia, etiam illuſtriſſimis familijs ortos nepotes, ac neptes tuos percenſere contenderem, proculdubio & uires, & tempus, in medio orationis curſu, me prorſus deficerent. Iure igitur, iure optimo, Turnoniã domum felicem prædicamus, & beatam, quæ quum olim heroas cœlo & terris genuerit, nempe indigetes & diuos, Tum hodie, poſt innumerabiles, atque adeò inter adhuc tam multos

eminentiſsimos in omni laude principes uiros, te nobis (quemadmodum dixi Pater ampliſsime) in mediam totius orbis lucem ediderit, qui quicquid in Franciæ decus, & Chriſtianitatis ornamentum ſtudeas ac deſtines, quaſi uirgula quadam diuina, id id conſequare & efficias, miraq́; naturæ indulgentia par ſis tam multiplici grauiſsimorum eiuſdem Franciæ negotiorum ſarcinæ, quorum pars quantalibet alium quenuis facile obruat, te uix etiam leui ſenſu perſtringat. Nec tamen ob iſtam tuam, uidelicet tam raram & incredibilem felicitatem, impie fremens inuidia, obeſſe queat, quominus optatiſsimum atque iucundiſsimũ tuum in patriam aduentum reditumq́; boni omnes ex æquo tibi congratulẽtur, & primarię notæ & infimæ claſsis homines. Quare agite quicũq; Turnonica lilia, & leonem Hectoreum in imis pectorum receſsibus inſcripta atq; impreſſa geſtatis: Agite, Franciſcum florentiſsimum à Turnone Cardinalem, quod felix fauſtumq́; ſit, pijs ſalutationibus, pijsq́; aggratulationibus excipite, pro ſalute eius, & uitæ diuturnitate, & uota & preces certatim effundite. Ille Franciæ & Chriſtianitati optimè cupere iudicandus erit, qui tibi omnibus modis ſuſpiciẽde Pater, læta & felicia omnia ſemper adprecabitur. Dixi.

IOANNES PELLISSO CONDRIACENSIS, SVO IN PRIMIS charo diſcipulo, Claudio à Turnone, Protomyſtæ Bellimontano, S. D.



VOD uulgo corporum parentes ſolent, ingenue & liberaliter educate adoleſcẽs, ut rerum à liberis ſuis nuſquam non ſatagant, hoc mentium formatores facere perinde cõuenit, quaſi in hos iure culpa etiam conferẽda ſit, ſi eiuſmodi non euaſerint alumni, ut in eis nihil omnino eſſe uideatur, cuius illos pudere par ſit ac pigere. Nam ut diſcipulis ad laudem & honeſtam gloriam aſpirantibus nemo non gratulatur contigiſſe bonorum morum artifices: Sic ijſdem honeſta ſtudia flagitijs & libidine permutantibus, expenſum ferri omnino debet, quod protinus in crimen uocentur, qui eos inſtituerunt, quaſi hos idcirco uitiorum ac nequitiæ architectos fuiſſe oporteat, quòd ab ipſis eruditi & educati, nihili ſint & nullius pretij. Quo fit, ut in exigendo à diſcẽtibus officio ſeueriorem ferè docentem eſſe deceat, quum ob idipſum, quod dixi, tum quia quemadmodũ ex me ſæpius audiuiſti, exquiſitiſsima cura, & rara quadã diligentia iſtam ætatem curandã ac moderandã etiã Chriſtus præceperit, eoq; nimiũ grande piaculum committant, quicunq; adoleſcen-

tibus, ullo pacto ſunt offendiculo: qui'ue ad bonam frugem illos, quantum poſſunt, non promouent: ut in quibus totius Reipublicę Chriſtianæ ſita ſit reuera ſeges omnis, ſic enim mihi loqui liceat. Quare hac conſyderatione impulſus, qui tibi Bellimontane chariſsime, & morum & literarum præceptor non ita pridem fui, ſi officij mei eſſe putaui, ut quanuis ex ephebis, adeoq́ʒ ſumpta uirili toga, ex imperio ac cura mea exceſſeris, ea tamen adhuc ego tibi occinam atque inculcem, quæ niſi in imis ſenſibus iſtis repoſita, tenacius hæreant, nihil unquam magna laude dignum conſequi poſsis: eſt, quod boni conſulas, cuius'que nomine mihi gratiam habeas, quando quidem hoc non ob aliam cauſam facio, quàm ut nec tui oblitus ipſe uidear, nec CHRISTO ſedulitatem meã non probem, neqʒ enim tibi propterea bene cupere deſij, quòd cuſtos & magiſter non amplius adſim, nec paternum illum in te affectum iſthinc ſemigrans poſui, ut maximè contrà tibi fortaſſe uideatur. Agedum ergo, ſi uidetur, alumne dulciſsime, animum mihi ad hæc aduerte, operamq́ʒ rectè conſulturo pauliſper dato, neceſsitate quadam abs te quidem exorta, factum eſt, ut tuæ ipſius fiduciæ relinquendus fueris: periculoq́ʒ tuo rès omnis acta eſt, ne cauſificeris, non tibi prouidendum fuiſſe, nequa obloquutoribus anſa præberetur, quaſi aut tu me, aut ego te perferre non potuerim. Quod ipſum ſi (ut opto) ſatis præcaueris, idq́ʒ dederis operam, ut in

rectis studijs & bonis disciplinis felicius nunc, aut certè nihilo secius, promoueas, quàm cum tecum essem, est procul dubio, quod tibi magnopere gratuler, & mihi gaudeam, qui tibi pro eo ac debeo, & opto & precor bona ac fausta omnia. Sin uerò profectus negligentem (quod omen auertat Deus) uulgares istę, ac perniciosę corporis uoluptates, aut otiosa securitas te fortasse reddiderit. Istinc mihi (crede) tristius molestius'ue nihil renuntiari posit. Quòd ego te Bellimontane generosissime per inclytum à Turnone nomen, per eum, quo te Reuerendus pastor Viuarieñ. Episcopus afficit, tam spectatū amorem, quæso atque obtestor, ne commiseris, ut uerè dici usquam posit, in te erudiendo atque instituendo operam & oleum (quod est in prouerbio) prorsus mihi perijsse. Nec te ideo ceperit discendi studendi'ue satietas, quia diues natus sis, quæ ad literaturam segnities atque incuria in eis ferè inesse solet, qui in hac mortali uita, quęstu & lucro metiūtur omnia. Etenim diuitiæ (ne hic erres) ac potētia merum nihil sunt, si ad sapientiam conferantur: Quin ad bene beateq́ꝫ uiuendum, opulentia absque sapientia plurimum etiam obest: cum sapientia uel sine ullis fortunæ bonis beare posit. Vt non iniuria celeberrimo illi philosopho Thebano laudi daretur, quòd ingentes thesauros (erat enim opulentissimus) in mare abiecisset, ut liberius philosophari quiret: non sanè, quòd sine re uiui posit, sed quia paruo contentus

iuxta naturam optimam uiuendi ducem, animo ſit à curis, & turbulentiſsimis illis ſolicitudinibus, ac ſpinoſis mortiferiſq; cupiditatibus uacuo, eoq; optimarum & ſaluberrimarum rerum ſcientiam ac cognitionem, ſi hoc ſtudere ac laborare uelit, & uenari & aſſequi feliciſsimè queat, rem profectò, cuius compotes, qui ſemel facti ſunt, ſoli ſunt diuites, ſoli enim (quod ait Marcus Cicero) poſsident res & fructuoſas, & ſempiternas, ſoli aut rebus ſuis (quod propriũ eſt diuitiarum) contenti ſunt: aut ſiquid amplius optant, (quandoquidem optandi ac ſperandi in hac quidem mortali uita, finis eſſe poſsit nullus) è tota rerum uniuerſitate, duntaxat quod fieri, quodq; parari & acquiri liceat, tam arduum nihil eſt, ad quod peruenire tandem non illi queant. Nec huic ſuffulciendæ aſſertioni longius petetur exemplum: Erit enim uel unus inſtar omnium hodiernus Franciæ Cancellarius, quem ſua uirtus, ac ſapientia ad ſummos honores, ad ſumma rerum faſtigia mirum in modum euexit. Modis ergo omnibus caueas Bellimontane chariſsime, obſecro, nequid tale in animũ inducas putare, non eſſe, quamobrem ſemper diſcendi ſtudio ac cupiditate flagres. Hoc primum ac præcipuum eſt, quod abs te nunc efflictim contẽdo. Proximum uerò, ne ſic animi ægritudinibus cedas, quia uotis tuis alicubi non admodum ex ſententia reſpondeant omnia, ut tædio uictus, à pulcherrimo inſtituto deſiſtas, & à uirtutis uia, quam bonis aui-

bus

bus ingressus es, pedem referas, quin ubiqꝫ memine-
ris, maximi illius Stoicorum principis Zenonis, quē
ex Phœnicia nauigātem, quum naufragium fecisset,
non protinus animum despondisse, sed consulto ora
culo, quonam pacto reliquam uitam ducere beatam
posset, id responsi accepisse ferunt, si mortuos uiuēs
coleret. Hic enim sciendi cupientissimus, simul atque
ænigmatici oraculi significationem coniectare po-
tuit, nihil prius, nihil potius habuit, quàm ut ad
omnes antiquorum sapientum perscrutandas atque
excutiendas memorias diligentiam omnem adhibe-
ret, Cratemqꝫ philosophum multos annos audi-
ret. Quæ res illi eò cessit, ut quum se nonnihil profe-
cisse post arbitraretur, apud amicos tanquam glo-
riabundus diceret, nunquam se uentis secundiori-
bus nauigasse, quàm quum naufragium fecisset, uo-
ce quidem præclara & uiro sapiente digna, qua id
egregiè declarauit, tædijs, molestijs, laboribus, & id
genus bonorum ingeniorum remoris, nusquam
prorsus cedendum, sed omni ope, ac toto conatu ad
ea consequenda enitendum, quæ non felices modo
nosipsos, sed diuinos etiam (aut quod proximū est)
diuinorum affines ac similes efficiant. Quanquam
reuera quid tibi tantopere ægrè esse conueniat, cui
& flos ætatis illibatus est, & ingenium contigit ne-
quaquam infelix, id si diligenter exercere uelis, tum
rectè docentium cura nunquam defuit. Ad hæc a-
bundè suppetunt omnia, uel quorum desyderio,

ſunt qui prope emoriantur, qui breuiter (ut ſemel di
cam) perbeatus es, ſi tibi modo non defueris. Quare
age Bellimontane, tam idoneum, tam opportunum,
& commodum tempus bene colloces, facito. Elabi-
tur enim, nec unquam reuocari poterit. Vide ergo
dum conceſſum eſt, ne ſic obuiam, ſic paratam occa-
ſionem ſciens prudensq; negligendo prætermittas.
Erit, quum aliter feciſſe uoles, ſed tunc ſera nimis fu-
tura eſt pœnitentia. Ipſa re compertiſsimum habes,
quanta & uelit & poſsit in te ornamenta conferre
beneficentiſsimus ſtudioſorum patronus, noſter Vi
uarienſis antiſtes, in quo uno tuæ ſpes atque opes
omnes ſitę ſunt. Hunc omni pietate, omni obſequio,
& reuerentia ſemper cole atque obſerua: cuius exi-
mia liberalitas non patitur te neceſſarijs egere, pro-
lixius omnia etiam ſuppeditatura, ſi te modo ſibi
morigerum atque obſequētem in omnibus habeat.
Ob oculos animi tibi igitur propone Bellimontane
cordatiſsime, ad quãtos honores, ad quàm opima ſa
cerdotia, ad quàm amplas facultates peruenies, ſi te
Turnonio genere uerè dignum ipſe præſtiteris, &
cum paribus tantum conſuetudinem age. Quid
enim tibi cum iſtis, à quorum congreſſu aut contu-
bernio non potes melior nec doctior digredi? Suas
ſibi res illi agunto. Apud alios tibi diuerſandum eſt,
in quibus ſit, quod meritò admireris, effingereq; ac
referre cupias. Verè nobilis egregius ſit, oportet, nõ
iſtos de ima plebe imitari debet, quos nihil pudet

ubiuis

ubiuis & apud quoslibet offendi ac comperiri, ſeu quia cæteris prudẽtia & uirtute antecellere, ſeu quia ex omni parte uitare debet, ne obſcurorum & reie-ctitiorum hominum contagione quicquã labis præſtantiæ ſuæ contrahat. Impurorum enim & improborum conuictus ac familiaritas in tantum peſtilens eſt, ut nemo iuuenis tam integer & bene moratus ſit, quin inde facile inquinari ac corrumpi poſsit. Habes optime diſcipule, de quibus te rurſum admonendum putaui, quæ ſi grato animo accipies, & memoria tenebis, certò futurum eſt, ut te nunquam pœniteat mihi dicto audientem fuiſſe: ſin minus boni conſules, quod equidem non ſpero, tamen CHRISTI prȩcepto ſatisfecero, & meo in te animo ac ſtudio morem geſſero, quandoquidem parte hac nihil morari iam didici ſummam horum temporum ingratitudinem ac malignitatem. Dominus & ſaluator noſter Ieſus ſic te moderetur ac cõſeruet, ut te uirum magnum & pietate ac ſapientia inſignem aliquãdo ſuſpiciamus. Vale, Lugduni decimo Calendas Auguſtas.

M. D. XXXIIII.

DE ILLVSTRI ET NON VVL gariter erudito uiro, domino Protonotario à Vernada, Reuerendißimi domini Cardinalis à Burbonio in inclyto Athanatensi cœnobio uicario generali meritißimo, Ioann. Pellisso Cond.

Quod Vernadarum claræ ſpes altera gentis
Exempla antiquæ uincit amicitiæ,
Dum quencũq; poteſt, iuuat, hoc tenet inclyta uirtus
Vernadûm, ex omni tempore perpetuum.
Quod uiror ingenij, uiror eſt ætatis amœnus,
Et uetus in uiridi pectore uernat honos,
Vernat priſca fides, bonitas, ſapientia, honeſtas,
Tum, quod habet, doctis hoc habet atq; bonis.
Hoc eſt, quo felix gens eſt Vernadica, quodq;
Rebus ei in cunctis tempora uerna facit.
Vtq; hanc Burbonius pater, & clariſsimus heros
Inter honoratas eximiasq; habeat.
Tanti eſt, inuiſum in ſe non admittere faſtum,
Dignosq; officijs promeruiſſe uiros.
Omnia præſtat amor, non ui, aut furialibus armis,
Non compilanda plebe tenentur opes.
Nec prodeſt uili mercabilis ære ſatelles,
Non fauor, aut iunctis ſæuior ira minis.
Plurima poſſe cupis, fac quo pietate colaris,
Hæc res una tibi Regna beata dabit.

ERRATA.

Pagina 20. linea 18. lege, qui de multis ſeditioſè, &c. Pagina 28. linea 13. lege, quòd ſuo iudicio nihil erraſſet, nam illíc omnino neſcio quo caſu omiſſum eſt uerbum, nihil.



KONSERVIERT DURCH
ÖSTERREICHISCHE FLORENZHILFE
WIEN 1967